



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus Tres spirituales

Arias, Francisco

Coloniae, 1615

Cap. 1. Declaratur, quæ discretio tenenda sit in mortificationis externæ exercitio ad comparandam veram animi puritatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48767)

CAPVT I.

De discretione tenenda in exercitio mortificationis externæ, pro comparanda vera animæ puritate.

Prudentiæ & discretionis est, ho- *S. Thom 1.2.*
minem in actionib. virtutum per *q. 66 a 3.*
media dirigere in suum finem, *Et 2.2. q. 47.*
efficereq; vt media aptè conditioni fi- *a. 7.*
nis respondeant. Sicut ergò in omni ex-
ercitatione virtutis, ita multò maximè
in vsu mortificationis opus est norma
discretionis: quæ si adsit, ingens & exi-
mius existit fructus, si desit, magna sæ-
pè fit iactura animi, & corporis. Vt au-
tem non aberremus à scopo, sciendum
est omnium corporis mortificationū,
quæ fiunt per labores, ieiunia, cilicia,
disciplinas, nuditatem, aliasque asperi-
tates, finem esse internam animæ puri-
tatem, & perfectionem. Puritas in eo *Cassian. coll.*
consistit, vt anima exulta sit præstan- *2. c. 16. & 17.*
tissimis quibusque virtutibus, vt humi-
litate, patientia, castitate, fortitudine,
ac imprimis charitate. In his enim ve-
ra sanctitas, & perfectio hominis spi-
ritualis iūta est. Has autem virtutes
Deus tum in animam nostram effun-
dit, cū adiuuante diuina gratia eam
expur-

84 TRACTATUS DE

expurgauerimus à peccatis: munditia enim illa est immediata dispositio ad virtutes; quoque anima plus à peccatis mundatur, hoc à Deo virtutibus amplius illustratur.

Vnde libenter fatemur, in mortificationibus non esse positam vitæ Christianæ sanctitatem & perfectionem, sed esse tantum instrumenta, & media, à Deo ordinata ad consequendam facile sanctitatem, & perfectionem. Quia

Lib. de vera de causa Basilii: Necessè est omnia
virgin. corporis exercitia, vt est abstinètia à cibis, & alijs, à nobis ad suum scopum dirigi, nempe ad comparandas veras animi virtutes; quò si non dirigantur, neque bona, neque mala ex se sunt, sed adiaphora, si verò dirigantur, laudem virtutis obtinent. Eadem est aliorum sanctorum Patrum sententia,

Cass. coll. 1. quam præclare apud Cassianum exposuere sancti Abbates, Moyses &
c. 7. S. Thom. 1. 2. Theonas. *Ieiunia*, inquit Moyses, *vi-*
q. 186 a. 1. *gilia, meditatio scripturarum, nuditas, ac*
Cass. coll. 21. *priuatio omnium facultatum, non perfe-*
6. 14. 19. 15. *ctio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis consistit discipline illius finis, sed per illa peruenitur ad finem. Et alibi Theonas fusè asserit, ieiunia, carcerasque carnis afflictiones esse viles ad*

ad obtinendam charitatem, fortitudinem, iustitiam, temperantiam, & veritatem, in quibus primarium hominis bonum consistat, eò quod hæ virtutes suapte naturâ sint bonæ, omnique tempore & loco necessariæ, afflictiones verò carnis bonæ non sint, nisi quatenus referuntur ad obtinendam cordis puritatem, & mortificandas animi passiones, ut mens humana expurgata à sordibus, his medijs possit se cum suo creatore coniungere. Hanc doctrinam etiam S. Paulus vnica sententia ad viuum expressit, cum diceret: *Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia Rom. 14. & pax & gaudium in spiritu sancto:* quorû verborum hic sensus est. Dona, quorum beneficio Christus regnat in iustis, esse primò virtutem iustitiæ, qua voce comprehendit omnes virtutes interiores, quibus homo iustificatur; deinde pacem, & gaudium spiritale cum reliquis Spiritus sancti donis & fructibus. Vesci verò, vel abstinere ab hoc vel illo cibo, aut potu, alijsque id genus, quæ natura sua sunt indifferentia, eatenus bona & laude digna sunt, ac ad regnû Christi pertinent, quatenus homo ea dirigit ad virtutes animæ consequendas, vel certè quatenus lege Dei, vel

Eccle-

Ecclesiæ ad eundem scopum diriguntur.

Quare seruo Dei omni opè & studio laborandum est, vt sicut sedulus est in corpore ieiunijs, cilicijs, disciplinis, alijsque similibus castigando, sic impiger sit in cauendis verborum otiosorum, & peruersorum operum, prauarumque cogitationum & consiliorum lapsibus, faciatque satis obligationibus, quas status eius postulat, sectetur iustitiam & charitatem, passionibus concupiscentiæ internis, iræ quoque & superbiæ, alijsque foriter obstitat, seruata patientiæ, mansuetudinis & humilitatis lege. Deinde mortificationes suas, & pœnitentias Christo Domino passioni eius copulandas in eundem finem offerat, nempe ad impetrandas virtutes principales, & dona Spiritus sancti, in quibus sanctitas, perfectioque consistit: sic enim externa mortificatio magni erit valoris, & meriti, & efficax erit ad impetrandam, quæ diximus. Quod si specialis illa consideratio alicui non occurrat, sed tantum eo generali respectu se mortificet, vt faciliorem aditum habeat ad virtutes, suo fructu spirituali & merito singulari non carebit.

Hac

MORTIF. DISCRET. 537

Hæc documenta tam salutaria, ne- *Aug. serm. 1.*
cessariaque traduntur à Sancto Augu- *de S. Ioann.*
stino. Duo, inquit, sunt abstinentiæ & *Bapt.*
crucis genera, vnum corporale, aliud spi-
rituale. Vnum à potu, atque à cibis tem-
porale, appetitum gulæ à delectationibus,
& molissimis suauitatibus coercere, &c.
Alterum genus est pretiosius atque sublimius,
motus animi regere, & perturbationes illius
modestie tranquillitate placare; iræ atque
superbiæ impetus quasi feram bestiam refræ-
nare, increpare se quadam censura austeri-
tatis & virtutis, voluntates proprias abne-
gare, easque interiori examinatione discu-
tere, &c. Hæc Beatus Augustinus. Vbi
liquidò demonstrat, quantum discrimen sit inter mortificationem exter-
nam, qua castigatur caro, & internam,
qua perturbationes, ipsaque propria
voluntas mortificatur, ac anima à vi-
tijs expurgatur, nec obscure indicat
externam illam, vti minus principa-
lem, velut medium referendam ad
internam, vt magis princi-
palem & finem al-
terius.

CA.